



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XI. Quæ conditiones ex parte religionis necessariæ sint, vt profectio recte,
& validè fiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

ad quid tenentur si illicitis professus sit.

spectu creditoris profitando, quia nimirum tenebatur expectare, donec prius solueret: supra enim diximus tales posse esse circumstantias, ut insit hæc obligatio. In illo ergo casu quidam dicunt teneri ad solvendum vel intra religionem, si possit, vel relicta religione, si necesse sit ex facultate quidem superioris, si eam possit obtinere, vel si non possit, etiam sine illa. Ita sentit Navarr. Comment. i. de Regular. n. 7. & Comm. 2. n. 42. & 47. & Palat. supra, Medin. Cod. de Restit. q. 3. art. 8. ad §. Angles de Restit. art. 2. difficult. 9. dub. 6. & videtur sequi ex dictis cap. præcedenti; quia hic fecit iniuriam creditori profitando; ergo per talem iniuriam non potest liberari a debito, quo tempore ipsi sinit professionem tenebatur. Item quia non potuit se donare nisi cum onere quod tunc acta habebat. Item quia posterior obligatio, cum iniuria facta non potuit præiudicare priori, cap. veniens, & cap. intellecto, de iur. iur. Item quia votum factum cum iniuria terti, non obligat ad suam observantiam, quantum ad eam partem, in qua est iniuriola, ut patet de voto coniugis, & de professione serui. Denique omnes rationes factæ in superiori puncto videntur hic posse accommodari.

6.

Alij per contrarium extremum sentiunt post factam professionem, non teneri huiusmodi religionem, neq; egrediendo religionem, neq; intra illam. Ita sentiunt Palud. & Supplement. locis supra citatis, & Sylv. religio 2. q. 4. Verum est hos auctores, non distinguere an ingressus sit licitus, vel illicitus, quia potius sine distinctione supponunt licitum esse ingressum nulla habita ratione talium debitorum. Suaderi autem potest hæc opinio, quia per professionem extinguatur obligatio civilis, ut dictum est: sed talis professio est valida: ergo non obstat culpa quæ in ea interuenit, habet eundem effectum. Probatur consequentia, quia illa culpa, etiam si continet iniuriam creditoris, non potest excedere vim obligationis civilis: ergo illa etiã cessat ratione professionis. Declaratur, nam si illud debitum ortum fuisset ex aliqua iniuria facta ante ingressum religionis, cessasset ratione professionis; ergo enati fiat in ipsamet professione. Et ex hoc principio respondet hæc sententia rationibus præcedentibus, constituendo semper in hoc differentiam inter hoc debitum civile, & debitum filii ad patrem.

7.

Assensio prima.

M. hi autem media quadam sententia placet, quam indicat Maior & alij ex supra citatis. Primo ergo asserto in eo casu non teneri religiosum egredi religionem, ut debitum solvat, neq; aliquid agere contra decentiam, vel substantiam illius status. In quo constituo differentiam inter hunc debitorem respectu creditoris, & filii respectu patris. Ratio me mouens est, quia hæc debita civilia non obligant cum tanto rigore, ut teneatur quæ suo statu cadere, ut patet etiã in homine, & in statu seculi: ergo multo minus religiosus ad hoc tenebitur, quia multo maius est detrimentum, & periculum in deferendo tali statu, vel aliquid contra decentiam aut substantiam illius agendo. Confirmatur, quia satis probabilis opinio est propter hæc debita, si homo non sit actu potens ad solvenda illa, non teneri ad omittendum, vel differendum statum religionis: ergo postquam constitutus est in illo statu, esse debet multo probabilius, neminem obligari ad relinquendum illum propter tale debitum, quia multo grauius & onerosius est cadere ab statu semel sumpto, quam illum non assumere. Vnde in materia de restitutione communiter docent Doctores, saepe teneri hominem non ascendere ad statum aliquem, donec restituat debitum. Si tamen iam in illo statu constitutus est, non obligari ad descendendum, etiam si foras se aliqua culpa in eo a censu interuenierit: ergo multo magis in præsentia dicendum est.

Assignatur ratio.

Assensio secunda.

Secundo vero asserto teneri huiusmodi religiosum in eo casu solvere illa debita, si al quo modo commode posset intra religionem manens, & regulari disciplinam obseruans. Et quoad hoc differentiam constituo inter eum qui sine iniuria creditoris, & eum qui cum illa ingreditur. Et probatur, quia quoad hoc cessat difficultas mutandi statum, quæ illum excusa e possit, & alioquin ratio iniuriæ ex se obligat ad satisfactionem possibilem intra decentiam status. Confirmatur, nam si religiosus post professionem furatur, vel iniuriam facit, licet non teneatur egredi monasterium ad restituendum, teneatur nihilominus illi restituere, quoad commode possit. Hæc autem iniuria facta creditori in ipso ingressu, & professione, reputatur moraliter tanquam facta post ingressum ab homine iam religioso, vel non minus graue est per ipsam professionem. Quapropter nulla ratio patitur, ut ipsamet professio extinguat talem obligationem. Denique iustitia seruanda est præsertim ubi non repugnat religioni, in præsentia autem nihil repugnat; quia non pertinet ad fauorem religionis, ut qui iniuriolè statum illum assumpsit, omnino liber maneat ab obligatione reddendi debitum.

Per hæc ergo sufficienter explicata videntur conditiones omnes pertinentes ad liberationem eius, qui religionem ingressus est. Solum poterat hic dubitari de vinculo censuræ, an illud etiam impediat professionem. Sed hoc quæstum atinet ad interdictum, & suspensionem (& eadem ratio est de irregularitate, quamuis censura non sit) certum est non impedire professionem, non solum ut valide, verum etiam ut licite fiat, quia illæ censuræ non prohibent communicationem, vel participationem rerum spiritualium quæ per professionem fit. De excommunicatione vero dubitari potest, eo quod prius omni communicatione, & præcipue spirituali. Quæ ratio probat quidem durante excommunicatione neminem licite se ingerere professioni faciendæ, neq; etiam licite ad illam admitti si excommunicatio denunciata sit, vel lata contra notorium clericum percussorem; iuxta Extrauag. Ad uentandæ, & communè doctrinam de excommunicatione. Nihilominus tamen talis professio ab excommunicato facta, valida est, ut in specie docuit Navarr. dict. cons. 3. de Regular. citans cap. cum illorum de sen. ex comm. ubi de hac re firmo non est, neque video probabile argumentum, quod inde sumi possit, nisi hoc solum quod fauor religionis maxime est à iure intentus. Idem tenet Couarr. in 4. p. 2. c. 6. n. 3. & citat eundem textum, dicens esse optimum, vii professio (inquit) facta ab excommunicato omnino valida est. Quod Abbas ibidem notat, & post eum Fel. nus, dicens illum textum singularem. Sed mihi, ut veram fatear, textus ille parum probat, Eandem tamen sententiam sequitur Syluest. verbo, Absolutio. 5. Vgolin. de Cens. abul. 2. num. 10. Henr. lib. 13. de excomm. cap. 7. nu. 7. Azor. tom. 1. lib. 12. in lib. Moral. cap. 3. q. 9. Paulus Comitol. lib. 2. Respons. Moral. quæst. 8. §. ultimo. Ratio tamen sufficiens est, quia nullo alio iure talis professio fit irrita, nec ex generalibus regulis de excommunicatione colligi potest.

CAPVT XI.

Quæ conditiones ex parte religionis necessariae sunt ut professio recte & valide fiat.

Principio supponendum est de necessitate professionis esse, ut ex parte religionis aliquis ad eam concurret, qui traditionem ab eo qui proficetur, sciendam acceptet: quod satis ex superioribus constat, cum ostensum sit professionem essentialiter requi-

Assensio prima.

requirere traditionem, quæ contummata esse non potest, nec habere esse, nisi acceptata sit, acceptatur autem à religione per aliquem qui possit incorporare professum religioni: est ergo hæc conditio omnino necessaria ad valorem professionis. Et ita notant Cardinal. in Clem. 1. §. *quia vero*, de statu monach. idem & Innoc. Panormit. & alii in cap. *portum*, & in cap. *ad Apostolicam*, de Regular. Ex quibus iuribus id etiam manifestè colligitur, ut notat etiam Nauarr. consil. 40. de Regular. quod incipit *Matthew*, num. 2. & Comment. 4. de Regular. num. 74. Vbi rectè infert nullam professionem religionis posse constare, nisi duæ personæ concurrant, quarum altera se obliget religioni, altera religionem obliget. Quod etiam notat Gregor. Lopez in lib. 7. tit. 7. part. 1. Includit enim professio reciprocam obligationem ex parte religionis, & religionis, nam est contractus mutus inter illa duo extrema, ut ex eisdem iuribus colligitur, & iidem auctores adnotant, & præterea Nauarr. consil. 26. de Regular. Ergo ex parte religionis necessaria est acceptatio & susceptio talis obligationis.

Atque hinc fit primo, necessarium esse ut professio fiat in manibus eius, qui potestatem habeat incorporandi aliquem tali religioni, qui actus non est validus, nisi supponatur potestas, ut est per se notum, & præter auctores citatos notat Syluest. verb. *religio* 3. q. 18. Angel. & alii verb. *religio*. Dicitur autem potestatem quem sit huiusmodi potestas. Sed in hoc idem censendum est quod supra de potestate recipiendi ad habitum, seu novitium diximus, eadem enim est vtriusque ratio. Imo auctores ibi citati magis loquuntur de hac receptione ad professionem, quam de priori ad habitum, quia per hanc fit propria unio ad corpus religionis, & per eandem magis obligatur religio. Est ergo hæc potestas regulariter in tota religione, vel in eo prælato, cui vel ab ipsa religione, vel immediate à Summo Pontifice tradita est. In quo censeo consulendam esse vniuersumque religionis institutionem & approbationem, nam ex solo iure communi nihil ferretur in particulari accipi potest ut ibidem dixi. Hinc vero etiam fit ad valorem professionis esse necessariam ex parte ipsius religionis, approbationem Pontificis, quia sine tali approbatione non est potestas admittendi aliquem ad statum verè religiosum, ut colligitur ex cap. *vlr. de Religiosis dom.* & cap. *vnico eod. tit. in 6. & cap. vnico. de voto in 6.* notat Syluest. verb. *religio* 3. quæst. 18. cum communi sententia Canonistarum in locis citatis, quæ confirmari latius potest ex his quæ de necessitate Pontificiæ approbationis ad religiosum statum supra diximus.

Atque ita cessat quæstio, quam Canonistæ Syluest. Angelus, Nauarr. & alii tractant, an professio facta in manibus Episcopi sine consensu religionis valida sit. In qua Innocent. simpliciter affirmat, quem alii sequuntur in d. c. *portum*. Antonius autem & alii negant. Sed prior sententia procedit iuxta morem antiquum Ecclesiæ, quando expressa approbatio Pontificis ad statum religiosum non postulabatur, sed ex vlt. & tacito consensu Episcopis erat commissa, à quorum iurisdictione religiosi non erant exempti. Tunc enim dubium non est, quin iure ordinario & quasi proprio haberent Episcopi potestatem admittendi ad professionem, siue professio fieret in vita priuata, & extra communitatem religiosam, siue in illa, quia Episcopi tunc erant veluti suprema prælati religionum: & ideo ad eos maxime pertinebat hæc receptio. Imo licet nunc sit quæstio inter Doctores, an Abbas possit admittere ad professionem sine consensu sui Capituli; de Episcopi

mihi non est dubium, quin eo tempore id facere possent; sicut nunc potest summus Pontifex admittere ad professionem quemcunque voluerit in quacunque religione, sine illius consensu vel consilio, quia habet in illam superiorem potestatem, & ad illum spectat modum recipiendi in religione statueret, aut mutare: simili enim potestate ex tacito, vel expresso consensu Pontificis utebantur eo tempore Episcopi, nam ad eos pertinebat religiones approbare, & consequenter instituire modum admittendi ad professionem, & utendi potestate ad hunc effectum, quæ in ipsis primario exitebat. At vero nunc non potest hoc generaliter affirmari, nec etiam vniuersaliter negari, nam standum est institutioni, & approbationi Pontificiæ, & ideo dixi cessasse quæstionem hanc, vel certe esse inutilem, quia si religio sit exempta à iurisdictione Episcoporum, manifestum est non posse Episcopum auctoritate sua admittere aliquem ad professionem in tali religione, quia non habet in illam iurisdictionem quæ ad hunc actum necessaria est. Item, quia talis religio semper habet proprium recipiendi modum à Pontifice probatum. Si autem religio non est exempta, clarum est posse Episcopum auctoritate sua admittere ad professionem in tali religione, quia est proprius prælatus eius, non minus quam Abbas, vel provincialis, in religione exempta.

At vero præter auctoritatem Episcopi, etiam necessarius sit consensus, vel saltem consilium Capituli, seu monasterii, ex peculiari institutione talis religionis, seu monasterii, eiusque approbationis seu confirmationis definiendum est; quia in communi iure nihil inuenio in hoc statutum, & ideo ex vi iuris communis non censeo huiusmodi consensum, vel consilium esse necessarium: quapropter ubi ex peculiari constitutione, vel consuetudine religionis non constiterit hanc conditionem esse necessariam, & sub illa datam esse Episcopis potestatem admittendi ad professionem, & non aliter, valida erit professio, sola eius potestate admissa, quia nullo iure ad talem modum limitant. At vero si religio ex peculiari institutione illam formam vel solennitatem requirit, illa conditio seruanda est, ut professio valeat, ut in simili potest ex cap. *vlr. de Regular. in 6.* cum his quæ glossa & Doctores ibi tradunt, & quæ Nauarr. tractat consil. 36. & 40. de Regular. Ratio vero est, quia licet nunc religio aliqua sit subiecta Episcopo, nihilominus institutionem & approbationem non habet ab Episcopo, sed à summo Pontifice, & ideo Episcopus immutare non potest modum professionis in tali religione institutum, & approbatum, tanquam necessarium ad ordinem eius, neque aliter censetur recipere potestatem, nisi ea conditione, ut tali modo ea utatur.

Hæc autem omnia intelligenda sunt de Episcopo sua propria potestate vcente: nam, ut Syluest. supra notat, si Episcopus nomine alterius, qui potestatem habet incorporandi religioni; professionem admittat, valida erit professio. Cuius ratio à priori est, quia potestas hæc admittendi ad professionem delegabilis est, sicut alia iurisdictione, quia nullo iure hoc prohibetur, neque inuenitur in tali potestate specialis aliqua conditio, ob quam delegari non possit. Hinc vero constat primo, oportere ut hæc commissio fiat ab eo qui talem potestatem iure ordinatio habeat: nam si solum ex commissione, seu delegatione illam haberet, non posset illam subdelegare, iuxta commune ius, nisi hoc etiam illi esset specialiter commissum. Constat deinde hoc non esse speciale in Episcopo, sed esse commune cuiunque alteri, cui talis potestas commissa sit ab eo qui iure proprio illam possidet, quia in eo casu non

4.
Specialis
dubitatio,
an ad hoc
requiratur
consensus,
vel consi-
lium capi-
tuli, seu
monasterii.

5.

est potestas in Episcopo ex dignitate, vel munere Episcopali, sed ab extrinseco delegante, quae delegatio alteri, qui non sit Episcopus, etiam fieri posset: nam Episcopalis dignitas non est etiam necessaria conditio, ut persona sit capax huius commissionis, seu delegationis, nullo enim iure vel ratione hoc probari potest. Vnde Innocent. Panormit. & alii in dict. cap. *porrectum*, generaliter dicunt professionem debere admitti ab eo qui potestatem habet incorporandi religioni, vel ab alio de licentia eius, siue ille alius Episcopus sit, siue non.

6.
Speciale
dubium
circa rati-
habiti-
onem.

Addunt denique Syluest. verb. *religio* 3. & Angel. verb. *Professio*, si Episcopus quamvis non habeat facultatem à praelato religionis, nihilominus non suo, sed nomine ipsius praelati, & sub spe ratihabitationis eius professionem admittat, illam esse validam, ratihabitione secuta. Ego vero existimo talem professionem nullius esse momenti, quatenus sub spe ratihabitionis de futuro facta est. Nam in primis certum est pro illo tempore, pro quo nondum est ratihabitione exhibita à praelato habente potestatem, nullam esse, nec constituere illam personam in statu religioso, ita ut si interim dum accedit consensus praelati matrimonium contrahat, factam teneat, quia persona non manet inhabilis ex vi illius professionis, cum reuera traditio eius non fuerit acceptata ab habente potestatem. Et ita fatentur etiam praedicti Doctores, solum enim aiunt talem professionem incipere esse validam post ratificationem, & non antea. Hinc autem ulterius fit, ut secuta ratihabitione superioris, necessaria sit iteratio consensus ex parte profitentis, ut professio valida esse incipiat. Probat, quia prior consensus non fuit validus, neque habuit effectum: ergo ut professio incipiat esse valida, necessarius est novus consensus profitentis. Responderi vero potest, quamvis prior consensus non fuerit statim efficax, non tamen fuisse omnino invalidum, sed fuisse ad modum consensus conditionati, qui suspensus manet quandiu conditio non est impleta; illa autem posita transit in absolutum, & statim habet effectum sine nouo consensu. Ita enim in praedicto casu, qui proficitur consentit professioni, sub ea conditione expressa, vel tacita, si praelatus, qui potestatem habet admittendi, eam ratam habuerit, & ideo adimpleta conditione non videtur necessarius novus consensus.

7.

Sed licet hoc probabiliter defendi possit, nihilominus probabilius existimo quod dictum est. Et in primis pro certo habendum est, necessarium esse, ut talis persona non reuocet consensum, nam si eam ponit professio facta, & nolit illa ligari, quantumvis praelatus eam ratam habeat, profecto ratihabitione postea subsecuta nullum habebit effectum, quia eo tempore quo illa exhibetur, & quo professio deberet incipere esse valida, non inuenit permanentem consensum alterius partis, sine quo non potest hoc mutuum vinculum perfici. Sicut in matrimonio sub conditione contracto, si ante conditionem impletam, alter contrahentium reuocet consensum, licet postea conditio impleatur, non perficitur matrimonium, quia prior consensus sub conditione prestitus per contrarium consensum absolutum reuocatus, non potest habere vim, & efficaciam ad perficiendum contractum: igitur necessaria saltem est moralis perseverantia in priori voluntate. Deinde necessarium etiam est, ut de hac perseverantia exterius constet, nam interior consensus non sufficit ad humanum contractum perficiendum, nisi de illo sufficienter constare possit, eo tempore quo perficitur contractus; hoc autem est moraliter irritare consensum, siue id fiat per expressum signum

perseuerandi in priori voluntate, siue per tacitum. Quod ita declaro, quia in illo casu, etiam si praelatus religionis, suum praebendo consensum ratam habuerit professionem, non statim incipit professio esse valida, donec profitenti de tali ratihabitione constet: vel ergo tunc ipse retrocedit, & sic non perficitur professio, vel consensit saltem tacendo, & tacite approbando, & hoc perinde est ac si de nouo professionem emitteret. Denique in re tam graui non videtur admittendus talis modus professionis tanquam validus, etiam sub conditione praedicto modo explicata, cum ex parte admittentis nulla supponatur potestas, alio qui posset professio fieri, non solum in manu Episcopi, sed etiam cuiuscumque alterius priuatae personae, sub spe talis ratihabitionis, quod concedere planè absurdum est: talis ergo professio nullam vim habet traditionis, nec potest huiusmodi traditio esse suspensa. De quo plura dicam cap. seq. An vero ex tali professione relinquatur aliqua obligatio saltem promissionis simplicis, dicam cap. seq.

Ultimo ergo necessarium est, ut is qui ex parte religionis professionem acceptat, praeter potestatem habeat etiam liberam voluntatem acceptandi, & obligandi religionem eo modo, quo obligari debet. Probat, quia professio non consistit in potentia, sed in actu humano, & voluntario. Item, quia professio est, seu fit ad modum cuiusdam contractus humani, qui mutuo partium consensu perficitur. Vnde fit si praelatus, qui professionem admittit, licet exterius eam recipiat, interius non habeat intentionem, illam admittendi, nec voluntatem incorporandi talem personam religioni, professionem non esse validam, ita ut si postea constare possit sufficienter de tali fitione, qui talem professionem emiserat, liberè possit talem statum relinquere, & alium assumere, seu tamen forma iuris, ut id licet fiat. Ratio est, quia eo ipso quod contractus claudicat ex altera parte, est simpliciter invalidus: tunc autem ille contractus ex parte religionis non tenet, neque illam obligat, quia obligari non potuit, nisi per voluntatem eius, cui data est potestas; ille autem voluntatem non habuit, ut in casu supponitur: ergo professio simpliciter non tenet. Quid autem remedi hic adhiberi possit, infra dicitur. Quanta autem libertas ex parte religionis ad hunc consensum requiratur, explicatum obiter est in his quae de libertate profitentis diximus; & ideo de his conditionibus ex parte religionis requisitis nihil amplius dicendum occurrit.

CAPVT XII.

Quae forma seruanda sit ut professio valida, & recte fiat.

EX causis quae ad professionem possunt concurrere, aut requiri, haec sola superest explicanda, quae rationem causae formalis iuxta materiae capacitatem obtinet; de qua in primis certum est, exterioriorem aliquam formam, quae mutuum consensum religionis & religiosi sufficienter explicet, necessariam esse ut perficiatur professio, & ut vinculum eius confurgat. In hoc conueniunt omnes Doctores, & patet primo ex generali ratione contractus humani, qui licet requirat consensum interiore, non tamen illo solo perficitur, quia sine externis signis non possunt homines inter se mutuos consensum agnoscere, aut acceptare; professio autem, ut diximus licet principaliter contineat obligationem ad Deum, tamen non fit sine aliquo contractu inter homines; ergo non potest fieri sine sensibili signo ad modum matrimonii. Vnde confirmatur secundo, nam hac ratione vobis solenne per se publicum est, ut in superioribus diximus, quia non potest internum, sed exte-